

Bexta etas mundi

Nuremberga vrbis tota germania: et apud exteras gentes nominatissima celeberrimaque. Emporium germanie amplissimum: magnificis operibus publicis et priuatis ornata. Arx regia in colle vrbis supereminet vetustissima. ex qua intra urbem et extra prospectus est. A qua ciuitatis nomen ortum fuisse quidam arbitrantur. quam plerique a Tiberio Nerone imperatore: post tiberine constructionem conditam. Aut a Druso Nerone fratre suo qui germanos deuicit denominatam dicunt Nurobergam. Tiberius enim cesar genus paternum a Tiberio Nerone trahit. qui Iuliam Drusillam (ut Suetonius tranquillus scribit) grauidam: et ante iam apud se filium enixam: petenti Augusto concessit. Nec multo post dies obiit utroque liberorum superstite Tiberio Drusoque Neronibus. Inter cognomina et Neronis assumpsit: quod significat lingua sabina fortis et strenuus. Tiberius post hec comatam galliam rexit. et barbarorum incursionibus et principum discordia inquietam. Ex hinc rheticum: vindelicumque bellum inde pannonicum indeque germanicum gessit. Rhenico atque vindelico gentes alpinas. pannonico Brennos et Dalmatas subegit. Germanico quadraginta milia deditioz traiecit in galliam iuxtaque ripas rheni sedibus assignatis collocauit. Quasobres et ouas et curru urbem ingressus est triumphalibus ornamentis ornatus. Cui postea glorie amplior cumulus accessit: toto illirico quod intra italiam regnumque noricum et traciam et macedoniam interque danubium flumen: et sinum maris adriatici patet perdomito et in ditionem redacto. Iste Claudius Tiberius Nero (ut Eutropius tradit) prudens in armis: satisque fortunatus ante assumptum imperium fuit. Et ciuitates suo nomine appellari iussit. Vetustissimi tamen historicoz codices litteris scripti peruetustis. eam arcem castrum noricum appellant. Romani enim ut hostes post alpium saltus meatusque insidentes: ab incursibus prohiberent. In colibus et tumulis norice ac plerisque regionibus germanie arces extruxerunt. De quo si plura sine testimonio dixerimus: fidem nobis parua adhibere iri dubitamus. Cum in noricis (ut Strabo grauissimus auctor tradit) et thaurisci habitent horum omnium impudentissimas incursationes repressit Tiberius: et eius frater Drusus estate vna: per tota alpium ipsarum montana quidam terrarum extant tumuli: qui comode coli valeant. vallesque bene condite. De quo meminit Virgilius in fine tercii libri georgicorum. Tum sciat aerias alpes et norica si quis castella in tumulis. Ea presidia posuerunt que germanos a rebellionem ac motibus deterrent. Habet itaque hec vnicum verticem in qua vetustissimum castellum vrbis pro custodia constructum est. Glorio sus quoque pontifex summus Pius eius nominis ordine secundus scribit. De Nuremberga dubium franconie an baioarie cedat: Ipsum nomen indicat ad baioarias urbem pertinere: Nuroberga enim noricus montem significat. Ob quam rem patet noricorum ciuitatem fuisse. Noricis autem baioarios successisse. Ea nunc portio terre baioarie: que inter danubium et Nurembergam iacet noricum appellat. Ciuitas tamen in diocesi Habenbergensis: que ad francones pertinet: sita. Ipsi Nurembergenses nec bauari nec francones videri volunt. Sed tercium quoddam seperatum genus. Vrbis ea nobilis amne pegnicio interlabitur. et in partes duas diuiditur: ac pontibus lapideis pulcherrimis trahitur. In agro sterili et arenoso condita. atque ob eam rem industrioso populo. omnes autem plebei opifices ingeniosissimi aut plerumque negotiatores prudentissimi. Repertores et magistri mirandarum ac subtilium operum et arcium que ad decorem ac utilitatem hominum plurimum conducunt. Quamquam hec inclita vrbis a quibusdam inter nouas numerari censeatur. cum paucis in veterum monumentis reperatur: nullaque antiquitatis vestigia in ea appareant: preter arcem opus laude et vetustate dignum: atque perpauca edes. Cum igitur de nomine ac conditoribus qui fuerunt et quibus temporibus certatio sit et sub iudice lis: ea relinquamus: cum de alijs vrbibus ne dum italie et germanie: Verum et de roma matre vrbium dubium extat. Nam urbem terre marisque dominam quam nunc romani incolunt ut Dionysius halicarnasensis de antiquitate romanorum tradit: vetustissimi barbari siculi tenuisse dicuntur qui vero ante hoc fuerint: neque ut habitata sit ab alijs: neque ut deserta fuerit: nemo quicumque habet certi quoddam dicat. quam aliqui a congregatione hominum: alij a troianis: alij ab euandro: ceteri a romulo conditam scribunt. Reliqua igitur prosequamur. Constat Nurembergam temporibus Karoli magni in flore fuisse. Karolus enim magnus rex francorum qui talia tamque multa gerebat ut simul ecclesiam: romanumque imperium instauraret. saxonibus domitis: bittonibusque gallicis sibi federe coniunctis: pacem cum Tassilone baioariorum duce. Adriano pontifice romano sequestre iniit. Sed cum accersitus Tassilo nec accederet: nec obsides ex federe promissas mitteret. Bellum illi Karolus indixit: ducens in baioariam copias tripartito distribuit. Ipse enim cum parte tercia copiarum Nuremberge: et in locis finitimis sua firmabat castra. Et austrasios turingos et saxones ad danubium castrametari iussit. Pipinus filius cum exercitu italico ad Tridentum desedit. Cum itaque Karolus prudenti consilio castra firmasset prope Nurembergam in formam sui tentorii Sacellum construxit: quod postea Leo tercius summus pontifex: cum ad Karolum properaret qui apud padebunam saxonie oppidum erat summa acceptus reuerentia: proceresque dedit: qui honesto illum deducerent comitatu. Rediens roma in honore diue Katherine martyris dicauit. Ferunt nonnulli eam urbem fuisse olim sub dominio nobilissimi comitis francorum Alberti: qui cum fraude hattonis episcopi maguntinensis a Ludouico impatore obtruncatus deinde in ius imperij cessisse. Postea vero quibus in ditionem imperij venit: Summa fide: constantia: et officio romanum imperium coluit. Regibusque romanis fide constantissimam semper seruauit. In discordia tamen cesarum calamitates ac damna graua pertulit. Heinrico enim quarto regnum occupante filius eius rex romanorum per diuinam ut videtur ultionem: patre bello persecutus fuerat. Recessit itaque filius in Nurembergenses fide genitori